

- visum illum opus non habeam ab homine vel ^{o)} per hominem doceri, quid vel quale sit illud: *Exsurgat* ^{p)} *Deus et dissipentur inimici eius et fugiant* ^{q)}, *qui oderunt eum, a facie eius* ¹⁾. Ambulabam, quantum possum reminisci, magno cum timore et in spiritu humilitatis, multum quidem
- 5 timens, sed et multam spem habens, timens ne, cum ad id perventum esset, ut ante tribunal ipsum ^{r)} stare et faciem eius videre deberem, territus refugerem, et spem habens, quod placatam eandem eius faciem invenirem, quam fuga inenarrabili plerique (ut iam dixi) fugere conabantur, cum effugere non possent. Sequebantur post tergum spiritus
- 10 teterrimi multitudine inenarrabili ^{s)} cum hac expectatione, ut me retro conversum et fugientem ^{t)} *a facie sedentis super thronum* ²⁾ statim comprehenderent et in damnationem sue partis auferrent ^{u)}; nam ^{v)} prius me contingere nullatenus auderent ^{v)}. Post tergum (ut iam dixi) sequebantur atque a dextris et a sinistris pariter gradiebantur, ita tamen ut
- 15 nulla turba ^{w)} me comprimerent, sed erat undique mihi solitario spatiosus incessus ^{x)} et ante faciem meam nullis precurrentibus aut precedentibus liber prospectus ^{y)}. Cum huiusmodi processu visus mihi sum ^{z)} ingredi templum Domini, in quo erat similitudo throni et sedentis in eo Christi iudicis et salvatoris nostri et circa eum
- 20 sedentes quasi senatores iudicii et principes regni Dei. Qua voce, qualibus verbis eloqui possum ^{a')} horrorem multorum fugientium ^{b')}, non tamen effugientium ^{c')} a facie eius (ut iam dixi). Introgressus autem ante faciem eius protinus inter multos super faciem terre, id est ^{d')} pavimento valde pavidus et quasi in domum refugii receptus
- 25 consedi et respiciens eorum, qui me persecuti fuerant, neminem vidi, nisi quod coluber unus toto corpore per terram repens et solum caput erigens linguamque protendens ^{e')} nescio quas accusationes ^{f')} contra me moliri videbatur. His perspectis protinus a somno evigilavi.

- 23 Qualiacunque ^{a)} hec sint, o ter quaterque beate martyr, quis nesciat? Quia nos omnes oportet astare ante tribunal Christi ³⁾. Ibi profecto qui Christum diligit, fiduciam habebit. Hinc Ioannes in epistola sua dicit: *In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habemus in die*

o) adque V p) exurgat ASV q) fugiunt M r) ips. trib. AM s) innumerabili AM t) fugientem V u) auferret S v) nam ... auderent *fehlt* SVWX w) me turba AM x) ingressus SX y) profectus SX z) sum mihi SVX a') possem AM b') fugientem M c') non tamen effug. *fehlt* V d') *folgt* super AMV e') pertendens AM f') occasiones AM

23 a) Qualiacumque ... adiutor sis *fehlt* J

1) Ps. 67, 2

2) Apoc. 6, 16

3) Vgl. Rom. 14, 10; 2. Cor. 5, 10